



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 28. Benedictus Antipapa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

compositis Stephanus Papa iter in Thusciam suscipit, ubi non post longam moram subito morbo corripitur, ex quo Florentiæ vigesima nona Martii, anno millesimo quinquagesimo octavo decessit. Morienti adfuit S. Hugo Abbas Cluniacensis, qui tunc Florentiæ versabatur. Sepultus est vero magna pompa in Ecclesia Cathedrali, ubi non nulla etiam patrata miracula dicuntur.

Sæculum XI.
A.C. 1058.

vit. S. Hug.

§. XXVIII.

Benedictus Antipapa.

Inter hæc Gregorius filius Alberici Comitis Tusculani, & Girardus Galefensis, comperto Pontificis obitu, Romæ noctu cum potentissimis urbis civibus & magno armatorum agmine conveniunt, Joannem Episcopum Velitrensem in Sedem Apostolicam intrudunt, & Benedictum appellant. Petrus Damiani, ut Stephani Papæ Decretum servaret, cum ceteris Cardinalibus reclamabat, anathema illis dicens, qui Papam factiose elegerint. Quia vero Joannis Velitrensis Fautores viribus erant superiores, Petrus alique adversantes fugere, & in diversis locis latere coacti. Ceterum cum Petro Damiani, Episcopo Ostiensi competiisset Papam consecrare, ipso fuga elapso Gregorius, & suæ factionis homines, Archipresbyterum ejusdem comprehensum vi adhi-

Sæculum XI. adhibita trahunt, & Benedictum suum
 A C. 1058. coronare cogunt, Dominica Passionis
 quinta Aprilis, anno millesimo quinquage-
 simo octavo. Is Sacram Sedem mensibus
 ferme decem tenuit. Pallium Stigando
 Archiepiscopo Cantuariensi, qui id be-
 neficii a Legitimis Pontificibus obtinere
 non potuerat, concessit. Nam hic Præ-
 sūl, qui jam prius relicta Ecclesia minus
 pingui ad Vintoniensem transierat, sim-
 plicitate Eduardi, optimi Regis, abusus
 Archiepiscopatum sibi conferri curave-
 rat, nec tamen Episcopatu aliisque com-
 pluribus Abbatiis se abdicaverat. In ne-
 gotiis sæcularibus exercitatissimus, lite-
 rarum tamen ignarus erat, ut plerique
 illa ætate Angliæ Episcopi; hinc causas
 Ecclesiæ perinde ac Reipublicæ tracta-
 bat, atque Episcopatus & Abbacias pa-
 lam venales habens ambitioni & avari-
 tiæ indulgebat. Ita Sedem Cantuarien-
 sem annis septendecim tenuit, cumque
 impetrare hætenus non valuisset, quam-
 vis illa tempestate Romæ pecunia mul-
 tum posset, ut sibi Pallium mitteretur,
 consilium cepit, Papam venerandi hunc
 Benedictum, quem ceteri Archiepiscopi
 ludibrio habebant. Atque ut gratum
 animum ostenderet Benedictus, eum
 Pallio decoravit. Romani Benedicto
 cognomen *Mincio*, seu magis *Minchione*,
 quo

Malmesb.
Pontif. l. 1.
p. 204.

quo homo stupidus idiomate Italico signi- Sæculum XI.
A.C. 1058.
ficatur, per contemptum dederunt.

Desiderio Abbate duobusque aliis
Stephani X. Papæ Legatis Barri commo-
dos ventos expectantibus, ut Constanti-
nopolim solverent, sub noctem ante Do- Chron. Cass.
l. III. c. 9. 10.
minicam Palmarum Monachi a monte
Cassino advenientes nunciant, ad melio-
rem vitam transisse Pontificem, & to-
tius Congregationis nomine rogant, ut
sine mora reverteretur, ac Monasterii re-
gimen susciperet. Desiderius, ubi illu-
xit, iter arripit, timens ne a Normannis
detineretur, sed sine causa; nam potius
Guischardus eorum Dux iter facienti
prædiarios & equos concessit. Itaque
ad montem Cassinum pervenit summo
mane in Festo Resurrectionis Domini, &
ipsa die in possessionem Monasterii mit-
titur a Cardinali Humberto, qui, ut
Schismaticorum insidias effugeret, Ro-
ma illuc diverterat.

§. XXIX.

Nicolaus II. Papa.

Post reditum Hildebrandi, Legatione
ad Imperatricem perfuncti, comper-
ta Electione, quam aliqui Romæ contra
clarum Stephani Papæ præceptum moli-
ti fuerant, Florentiæ moram trahens,
datis ad Romanos electionem Benedicti
damnantes literis, cum eorum consen-
sum

c. 13.